

colligimus, quia cœlum est in potentia ad ubi, et non ad esse, ut ex Philosopho sæpe docet S. Thomas, et videri potest in II, distinct. I, quæst. I, art. V ad 8, secundo loco, et tamen ubi ultimi cœli non est circumscriptivum adæquate. Et licet in ipso spatio vacuo distantia positiva non sit, potest tamen in ipso corpore, quod movetur in vacuo positiva distantia fundari respectu alterius corporis, a quo recedit vel appropinquat, et sic positive moveri. Quod si nullum aliud corpus sit creatum a Deo, nisi tantum unum in spatio imaginario, tale corpus non poterit moveri motu locali positivo, quia tollitur omnis differentia locorum, sicut etiam sentiunt Conimbricenses hic q. IV, art. II, §. Ad rationes. Sed hoc est per accidens, quia deest materia circa quam producatur ubi, sive perfectum, sive imperfectum, sicut ignis defectu materiæ non alterabit, neque generabit. Et sic etiam salvamus dictum D. Thomæ quod motus localis semper est ad extrinsecum, id est, vel ad extrinsecum circumscribens, vel ad extrinsecum distans aut propinquum; semper tamen supponendo, quod producatur aliquis modus intrinsecus ipsi mobili erga tale extrinsecum, et hoc vocatur ubi; et sic patet ad omnes replicas primæ objectionis.

Ad secundum negatur sequentia ex D. Thoma in IV, dist. XLV, quæst. II, art. III, quæst. III ad secundum, ubi docet, quod resistentia non sumitur solum ex parte mediæ ad motum, sed etiam ex parte mobilis ad movens, et ex parte locorum inter se, quia cum distantiam aliquam habeant, quæ est sicut contrarietas positiva, illa non potest vinci in instanti, sed in tempore. Rationes autem Philosophi in capite octavo hujus libri, solum procedunt contra aliquos, qui totam resistentiam motus

ponebant ex parte mediæ, sic enim sublato omni medio tollebatur omnis ratio resistentiæ. Constat tamen non inde solum oriri resistentiam, vel distantiam tempore vincendam, ut patet tum in ipso cœlo, in quo non est resistentia ad motum ex parte mediæ, et tamen consumit tempus; tum etiam, quia si a cœlo usque ad terram esset vacuum, et moveretur lapis unius palmi, si unico instanti moveretur a cœlo ad terram, in eodem instanti esset præsens simul cœlo, et terræ, et intermediæ distantia, cum tamen solum sit unius palmi; si autem in diverso instanti est in cœlo et in terra, jam movetur in tempore, quia inter duo instantia est tempus medium. Et sic patet ad rationes in contrarium: neque enim tota ratio resistentiæ, aut major facilitas se movendi, est ratione mediæ, quo resistit, licet inde sumatur aliqua pars resistentiæ; sed sumitur etiam ipsa ex existentia locorum et major, vel minor facilitas motus ex majori pondere, vel virtute moventis.

Ad tertium respondetur, quod extra cœlum non esset motus naturalis ratione gravitatis, vel levitatis, quia ibi non datur centrum, seu locus naturalis conservativus, ad quem inclinant istæ virtutes, et consequenter neque dabitur motus violentus illi oppositus. Poterit enim dari motus progressivus, sicut in corpore Christi ascendente ultra cœlum, vel etiam per impulsu impressu ipsi corpori, non aeri deferenti. Quod vero tunc ex motu corporis relinquatur vacuum, non obstat, quia hoc non est facere vacuum removendo corpora ne illud repleant, sed supervacuum jam præsuppositum mutare distantiam propriam.

Ad ultimum respondetur, quod D. Thomas in illo quodlib. VI, supra

citato docet. Angelum posse esse in convexo cœli empyrei, sicut corpus gloriosum, quod ultra cœlum moveri potest. Quid autem Angelus acquirat in illo vacuo dependet ex diversis sentiendis, quomodo Angelus sit in loco, et quid sit ubi spirituale, quod non pertinet ad Physicum, sed ad Theologum. In sententia D. Thomæ, quod Angelus est in loco per ubi in se receptum, mediante tamen contactu non formali, qui est per quantitatem, sed virtuali qui est per operationem, quatenus potest extra se agere erga corpus, sicut anima informare materiam, dicendum est, quod Angelus in vacuo poterit moveri ad aliquod corpus, quod sit distans a se motu discreto, non transeundo per medium, quia non datur aliquod corpus cui assistat, et quod operatione sua continuata tangat. Si autem nullum sit corpus in rerum natura, moveri non poterit, sicut nec esse in loco operative, quod tamen est per accidens ex defectu materiæ circa quam operetur, sicut anima remoto corpore non potest informare. Nec tamen potest Angelus in vacuo acquirere distantiam, vel propinquitatem, sicut corpus, quod movetur per vacuum, eo quod Angelus non potest fundare distantiam positivam immediate in se, cum careat omni occupatione loci, et divisibilitate, sed solum potest fundare illam mediate, id est, mediante corpore cui assistit.

QUÆSTIO XVIII.

DE TEMPORE.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum tempus sit aliquid reale in genere mensuræ durationis?

Certum est nomine temporis communiter intelligi aliquid pertinens

PHILOSOPHIA I.

ad durationem earum rerum, quæ mutatione, et successione durant. Unde aliquando sumitur tempus largiori significatione pro duratione intrinseca cujuscunque motus, ut docet D. Thomas in II, dist. XII, quæst. I, art. V ad 3, et I p. q. LXXXV, art. IV ad 1, et alibi sæpe. Strictius autem, et proprius sumitur tempus pro duratione motus magis uniformis, et regularis, sub quo cæteri continentur, et quo regulantur, et hoc est tempus extrinsecum respectu motuum inferiorum, licet intrinsecum respectu primi motus.

De tali ergo tempore agimus in præsentibus, de quo supponimus, quod est continuum in se, sicut et ipse motus in quo invenitur continuus est, et successivus. Ad mensurandum autem per illud aliquem motum, utitur illo per modum numerationis discretæ, quæ numeratio solum intellectu fit, eo quod non potest res successiva accommodari ad mensurandum per numerationem, nisi conjungantur partes illæ successivæ, quarum una transit, et jam non est, et alia est transitura, et nondum est: et sic indiget intellectu comparante, et assumente illas per modum unius. Et rursus, quia continuum est, et successivum, constat partibus copulatis per indivisibilia etiam successiva, et transeuntia, quæ vocantur instantia, et correspondent indivisibilibus motus, quæ dicuntur mutata esse. Datur tamen tempus discretum, quod est duplex; aliud corporale, quod non est aliud, quam duratio motus interrupta; aliud spirituale, quod non est aliud, quam pluralitas operationum, quarum quælibet indivisibiliter durat in se, quia successiva non est, et hoc modo datur tempus in operationibus Angelorum, de quo nihil ad præsens.

Ut ergo quidditas temporis cla-

rius explicetur, tria disputanda sunt. Primum, quid sit duratio, quod pertinet quasi ad genus ipsius temporis, et applicata ad motum constabit de specifica ejus ratione, duratio enim juxta naturam rei durantis variatur. Secundum, an tempus dependeat ab aliquo rationis, ut constituatur in suo esse mensuræ. Tertium tandem, id quod pertinet ad ejus differentiam, quomodo distinguatur ab aliis durationibus, v. g. æternitate, ævo, et aliis similibus, quæ sunt durationes permanentes.

Prima ergo difficultas inquiri de ipsa ratione durationis in communi. Et suppono ex Logica, quæst. XIX, quod duratio in communi non est idem quod prædicamentum *quando*, ut aliqui existimarunt ita quod complectatur etiam durationes permanentes, et indivisibiles. Sed tamen *quando* solum est modus relictus ex adjacentia temporis, sicut ubi ex circumscriptione corporis. Unde differentia ipsius *quando* desumuntur penes differentias successivas, ut heri, hodie, cras, etc. Ubi autem duratio est permanens et immutabilis, non est *quando*, sed *semper*. Aliud ergo est durare, aliud est in ipsa duratione quandari, seu diversis mensuris successivæ durationis distingui.

Igitur duratio in communi accepta nihil est aliud, quam persistentia in existendo. Sumitur ex D. Thoma qui in I, dist. XIX, qu. I, artic. I, inquit: « Quod omnis duratio attenditur secundum quod aliquid est in actu, tamdiu enim res durare dicitur, quamdiu in actu est, et nondum est in potentia. » Et aliqui existimant, in primo instanti nondum dari durationem, quia nondum est continuatio, et perseverantia in esse. Alii vero e contra etiam in primo instanti dicunt dari durationem: sunt enim aliqua, quæ dicuntur durare tantum per instans, et sic men-

suratur instanti eorum duratio. Veritas tamen est, quod in primo instanti res dicitur durare inchoate, incipit enim tunc duratio, consummatur autem in ipsa continuatione existentia, quæ sequitur post instans.

Hinc autem major nascitur dubitatio, an duratio aliquid addat super existentiam, tanquam modus, et formalitas ejus. Multi enim durationem non distinguunt realiter ab existentia, sicut neque existentiam ab essentia. Ita Suarez disp. I. Metaphysic. sect. I et II; Vazquez I part. disp. XXXII, cap. III, num. XVII; Cabero hic disp. IV, dub. III; Martinus in præsentia in II notabil. qui existimat rem se ipsa esse durationem, sed non per se, et ex se, sicut etiam dicitur de existentia, et sic consequenter duratio non distinguitur a re durante. Fundamentum est, tum quia duratio, et existentia non possunt separari, implicat enim rem existere actu, et non durare; ergo sunt idem realiter: tum, quia duratio vel superaddit existentia aliquid extrinsecum, vel intrinsecum. Non extrinsecum, quia duratio debet intrinsece denominare, sicut existentia, quod enim extrinsece tantum durat, intrinsece desinit, vel si non desinit intrinsece durat. Si addit aliquid intrinsecum, oportet quod illud de novo producat; ergo durare, seu continuare esse est idem, quod de novo produci; et sic non dicitur res durare per continuationem primæ productionis, sed per novam productionem, quæ recipit aliquid intrinsecum de novo. Et illud intrinsecum, quod recipit, vel servit pro toto tempore, quo res durabit, vel solum pro quolibet instanti, seu tempore de præsentia. Si primum, sequitur quod qui modo recipit durationem jam in se habet durationem cras futuram, quia accipit durationem pro toto tempore, quod du-

rabit. Si secundum, tot erunt durationes novæ, quot instantia, et sic duratio fiet per distinctas productiones, non per continuationem ejusdem.

Opposita sententia defenditur ab aliis Auctoribus, ut Magistro Bannez I part. quæst. VII, art. IV, et ab aliis, qui videri possunt apud Carmelitanos hic disp. XXI, qu. III. Fundamentum est, quia duratio accedit existentia, contingenter enim aliquid durat, cum possit quolibet instanti desinere, imo et separatur existentia a duratione, nam in primo instanti aliquid existit, sed nondum durat, quia nondum continuatur, sine continuatione autem existentia duratio non est. Ergo non minus debet distingui duratio ab existentia, quam existentia ab essentia. Item motus, et tempus se habent ut duratio, et res durans, distinguuntur autem realiter, siquidem potest dari parvo tempore multum de motu, vel e contra; ergo duratio aliqua addit supra rem, quæ durat.

Nihilominus dicendum est: Quod in rebus permanentibus duratio non addit super existentiam aliquid intrinsecum, sed est idem cum existentia, et solum addit extrinsecam connotationem, et dependentiam ab actione continuante, et influente ipsum esse; in rebus autem successivis, quia duratio fit per novarum partium effluxum, consequenter duratio fit per superadditionem existentia, ad existentiam. Prima pars constat ex probatione adducta, quia alias non sufficeret ad durationem continuatio ejusdem actionis, sed requireretur semper nova productio, et tamen dicitur duratio accidentaliter ipsi existentia accidentalitate extrinseca, quatenus dependet a continuatione talis actionis, quæ suspendi potest. Et quanto magis dependet conservatio aliejus rei a pluribus causis, quæ possunt defi-

cere, tanto defectibilior est duratio, et mutabilior; ideoque Angeli, et cæli dicuntur corruptibiles, quia in ordine ad causas creatas, non est a quo dependeat in sui conservatione. Sic ergo, cum duratio attendatur in aliqua re secundum quod est in actu, et tamdiu aliquid durat quamdiu existit, ut dicit D. Thomas distinct. XIX citata, consequenter duratio ad existentiam pertinet, et posita continuatione existentia sine alia nova productione sufficienter dicitur res durare, sicut continuata luce a sole dicitur eadem illuminatione permanere. Ergo duratio non requirit aliquid de novo productum, sed sufficit quod idem continuetur. Et ipsa continuatio, quia dependens est, et contingens, cum suspendi possit, reddit durationem contingentem.

Secunda vero pars constat, quia res successivæ dicuntur durare ratione continui fluxus, quatenus una pars desinit, et alia incipit; ergo duratio ibi importat additionem de novo ad priorem existentiam, seu inchoationem rei successivæ. Sed tamen, sicut partes successivæ, addunt novam durationem, ita et novam existentiam, ad existentiam præcedentem, sicut tota existentia successiva non distinguitur a tota duratione, sed pars a parte, quod non contingit in duratione indivisibili rei permanentis.

Ex quibus colligitur, quomodo tempus distinguatur a motu. Nam si loquamur de tempore cæli respectu motuum inferiorum, quos extrinsece mensurat, clare constat, quod distinguatur ab aliis realiter. Si vero loquamur de tempore respectu motus, in quo est intrinsece, sic distinguitur, sicut duratio a re durante, quæ in motu, cum successivus sit, non fit per continuationem ejusdem indivisibilis existentia, sed per continuatam additio-

nem unius partis ad aliam, ut dictum est. Et hac ratione motus dicitur durare paucio tempore, vel multo, non quidem respectu temporis, ipsi motui intrinseco, hic enim motus in duratione adæquatur tempore sibi intrinseco, sed comparative ad tempus extrinsecum mensurans, dicitur enim velox motus, quam multum spatii consumit paucio tempore, et tardus e converso qui coexistit parvo tempore in decurrendo multum spatii, ipsa autem duratio intrinseca motus non est major, nec minor, quam motus ipse.

Ad rationes dubitandi allatas a principio patet ex dictis. Fundamenta enim primæ sententiæ probant durationem non distingui intrinsece ab existentia, sed esse ejus continuationem, dependentem tamen ab actione extrinseca continuante, et ratione hujus, qui recipit existentiam hodie, nondum recipit durationem cras futuram, quia duratio crastina importat existentiam non absolute, sed cum illa continuatione, quæ erit cras, quæ hodie nondum habetur. Fundamenta vero secundæ sententiæ probant durationem distingui ab existentia eique accidere non ratione alicujus intrinsece superadditi existentie permanenti, sed ratione continuationis dependentis ab actione extrinseca, ratione cujus contingenter convenit duratio existentie, et separari ab illa potest, quatenus desinere potest, non quia seorsim existentia, et duratio consistere possint.

Secunda difficultas.

Petit, an tempus simpliciter et absolute sit aliquid reale, vel aliquid rationis. Hujus difficultatis resolutio plenius constabit ex his, quæ sequenti articulo circa existentiam temporis tractanda sunt. Interim dico;

Tempus esse reale secundum entitatem suam, eo modo, quo motus cujus duratio intrinseca est, requirit tamen aliquam formalitatem rationis in ordine ad mensurandum, quia non potest mensurare, nisi conjungantur aliquæ partes, et designentur, ac distinguantur per numeros, quod fieri non potest designatione aliqua reali, sed rationis comparante, et assumente partem præteritam cum futura. Hæc est contra aliquos ex antiquis, qui dixerunt, tempus esse ens rationis absolute, quos refutat D. Thomas opuscul. XLIV, cap. I, quibus aliqui recentiores videntur adherere, ut Pererius lib. XII Physic. cap. XIII, et ex parte Vazquez, I par. disp. XXXIV, cap. II, ubi dicit, quod tempus aut est ens rationis, aut eo completur, scilicet relatione mensuræ in motu. Nos autem dicimus, tempus neque entitative esse aliquid rationis, neque formaliter consistere in relatione mensuræ; dicit enim Aristoteles in hoc libro, text. cxcix: « Quod tempus est idem cum motu in re, licet consequatur ipsum secundum prius et posterius, » et text. cxxxii, inquirens, an tempus sit aliquid extra animam dicit: « Quod est ipsum prius, et posterius motus, licet sit hæc, ut numerabilia. » Quod exponens D. Thomas ibi, lect. XXIII, inquit: « Quod tempus est utrunque ens sine anima, sicut contingit motum esse sine anima; sicut enim ponitur motus, ita necesse est poni tempus. Dependet tamen in numeratione ab anima, quia motus non habet esse fixum in rebus, neque aliquid actu assumi potest de ipso, nisi aliquid indivisibile præsens, et sic totalitas motus non accipitur, nisi per considerationem nostram comparantem partem priorem posteriori. » Et in primo distinct. XIX, quæst. V, artic. I, inquit: « Quod tempus habet fundamentum in mo-

tu, scilicet prius, et posterius ipsius motus, sed quantum ad id, quod est formale in tempore, scilicet numeratio, completur per operationem intellectus numerantis. » Ergo in se tempus non est aliquid rationis, sicut neque partes ipsæ, secundum prius et posterius. Relatio autem mensuræ non est ipsum tempus, sed fundamentum hujus relationis. Est enim tempus id, quo mensuramus, sicut panum mensuramus ulna, et triticum modio, et tamen ulna, et modium non sunt relationes, sed fundant relationes mensuræ. Videri etiam potest D. Thomas, I p. q. X, art. V, et opusc. XLIV, cap. I. Constatque explicatio hujus ex dictis, quia tempus dicit aliquid successivum, ut mensurans. Ens autem successivum a parte rei datur, et a parte rei durat successive, alias non duraret motus in re; sed tamen hoc ipso quod successivum est, non possunt colligi ejus partes, et applicari, nisi per actum rationis; sicut partes unæ essent dispersæ, et oporteret eas colligere, ut componeretur ulna ad mensurandum. Sic ergo per actum animæ tempus habet duo, quæ ad rationem mensuræ requiruntur, scilicet simultatem, seu collectionem partium, quæ in re fluunt, et solum per operationem animæ colliguntur, in re enim simul non existunt. Secundum est applicatio talis mensuræ ad id, quod mensuratur. Et sic dicit S. Thomas lect. XXIII citata: « Quod ipsa totalitas motus accipitur per considerationem animæ comparantis prius, et posterius, id est, ipsa simultas, et collectio partium in motu, et ejus duratione, quæ applicanda est alicui ad mensurandum. »

Quod si objicias D. Thomam in II, distinct. XII, qu. I. art. V ad 2, dicentem: « Quod locus est idem per essentiam, quod superficies corporis locantis, tempus autem non est

idem numero, cum aliquo accidente in substantia fundato. » Ergo entitative tempus non est aliquid reale, sicut locus. Philosophus etiam in hoc libro, capite ultimo dicit, quod tempus ista pendet ab anima, quod si non esset anima, non esset tempus; ergo sentit quod tempus quantum ad suum esse, et non solum quantum ad suam formalitatem numerationis dependet ab anima. Respondetur, quod quando D. Thomas dicit tempus non esse idem numero cum aliquo accidente fundato in substantia, intelligitur de accidente permanente, et fixo. Id enim significat *ly fundatum*, locus autem est idem cum superficie, quæ est aliquid permanens, non tamen negat tempus esse idem cum aliquid successivo, et transeunte. Ad Philosophum respondetur quod dubitative dicit tempus non posse esse sine anima, quia numerus non est sine numerante; resolutive autem dicit, quod tempus utrunque est ens sine anima, id est, imperfecte, ut explicat D. Thomas et per modum successionis fluentis. Reliqua, quæ circa hanc difficultatem possunt adduci, sequenti articulo dicemus.

Tertia difficultas.

Inquirit, quomodo distinguatur ratio temporis, a reliquis durationibus permanentibus. De quo videri potest S. Thomas I par. quæst. X, art. V, et in I, distinct. XIX, quæst. II, art. I, et opusc. XLIV, c. IV. Et supponimus mensuras permanentis, et indivisibilis durationis esse duas, scilicet æternitatem, et ævum, inter quas est quædam mensura media, quæ vocatur modus æternitatis. Æternitas definitur a Theologo ex Boetio quod est *interminabilis vita tota simul, et perfecta possessio*, vel ut aliis verbis dicamus

est duratio mensurans esse omnibus immutabile, tam in esse, quam in operatione. Utrumque enim designatur nomine vite, dicitur autem possessio, quia in æternitate nihil expectatur ut futurum, sed totum est in possessione. Ævum est duratio mensurans rem immutabilem secundum esse, et mutabilem secundum operationem, et talis est, quæ mensurat esse Angeli, et cœli, et cujuscunque rei incorruptibilis; modus æternitatis est mensura rei supernaturalis, præcipue visionis beatificæ, et amoris, quia illa visio elevat intellectum ad operandum modo immutabili, quia variationem non recipit, in quo excedit ævum, quod recipit mutabilitatem in operatione. Videndus est D. Thomas loco citato ex 1 sentent. distinct. XIX, ubi distinguit istas mensuras secundum quod aliquis plus vel minus habet potentialitate, et mutabilitate, quia aliquis actus invenitur purificatus ab omni potentialitate, et talis est Deus, mensuraturque æternitate, quæ omni caret mutatione. Alius autem est actus admixtus potentie, scilicet creatura: et hoc dupliciter, quædam enim potentia est totaliter completa per suum actum, quia statim habet totum suum esse, licet non totam operationem, et talia mensurantur ævo. Quædam vero non habent complete totam actualitatem suam, sed successive acquirunt, et talia mensurantur tempore.

Et dictis patet, quod ævum non solum excludit successionem prioris, et posterioris, sed etiam rationem innovationis: quod aliqui male distinxerunt ut refert S. Thomas in II, distinct. II, quæst. I, artic. I, et I, part. quæst. X, art. V, et quodlib. X, artic. IV, quia ubiqueque est prius et posterius, oportet intelligere, quod partes priores, et posteriores non sint simul, alioquin una non esset prior, et alia posterior;

ergo oportet, quod posterius adveniat de novo et id quod est prius transeat, quod est habere innovationem unius, et veterationem alterius; et sic non invenitur successio sine innovatione, neque cum unica et indivisibili existentia, sicut res permanens, sed cum tot quot sunt instantia transeuntia, ut sequenti articulo dicemus. Neque est simile de radio, qui continuo exit a sole sine innovatione aliqua; nam etiam exit sine successione, quia, illuminatio non est motus. Quare ævum omni successione caret formaliter, et omni etiam innovatione in sua substantia. Potest tamen concedi in ævo aliqua successio virtualis, et extrinseca. Tum quia habet durationem ita dependentem, quod potest modo desinere, et potuit etiam non incœpisse quando incœpit, sicut si Deus vellet modo creare unum Angelum, sicut creat animas, aut si vellet annihilare illum, Angelus, qui modo crearetur, minus durasset, quam Angelus ab initio mundi creatus; et qui modo annihilaretur minus etiam duraret, quam qui non annihilaretur, sed hoc plus vel minus durationis non est ratione alicujus successionis intrinsece, sed ratione extrinsece dependentiæ a causa libere conservante, ratione cujus etiam Angelus hodie durans nondum duravit cras, quia potest cras annihilari: tum etiam habet extrinsece successionem quatenus non simul coexistit omnibus partibus temporis succedentis, sed secundum earum mutationem: licet in se sit aliquid fixum, et non transiens, sed tamen propter limitationem suam non omnibus simul coexistit, sed expectat res quæ succedunt, sicut arbor fixa in fluvio non coexistit simul omnibus partibus aquæ fluentis, sed coexistit illis secundum successionem, non suam quæ fixa est, sed aquæ quæ illi ad-

venit: et sic expectat illas, ut illis possit coexistere. At vero æternitas propter suam infinitatem, et immutabilitatem non solum in essendo, sed etiam in mensurando etiam caret ista successione extrinseca et non expectat res successivas ut fluent, et tunc illi coexistant, sed immutabiliter eas continet antequam mutabiliter in se existant per modum superioris mensuræ, a qua derivantur; sicut si esset arbor tantæ magnitudinis, quæ occuparet totam aquam fluvii, simul omnibus partibus coexistere, licet illæ succederent inter se. Sed hæc ad Theologos remittimus qui speculantur æterna.

Ex dictis deducitur integra definitio temporis tradita a Philosopho, scilicet *tempus est numerus motus secundum prius, et posterius*. Dicitur numerus, et non duratio, quia definitur tempus, prout est mensura cæterorum. Intellegitur autem de numero numerato, id est, existente in ipso motu secundum partes successivas, quæ sunt priores, et posteriores. Sed tamen si tempus sit discretum, habet istas partes actualiter divisas, et interruptas in re, si autem sit continuum non habet istas divisas in re, sed solum per intellectum cum divisione, a similitate acceptas. Et ita licet tempus definiatur per numerum, tamen ex parte rei numeratæ communitatem habet in re ratione motus, ut advertit S. Thomas in hoc libro, lect. XIX, et in I, dist. XXXVII, quæst. III, artic. III, et ita solum habet numerum fundamentaliter, et virtualiter sicut dicimus, quod hoc lignum habet decem ulnas, non quia habet illas divisas actu, sed quia potest in illas dividi, unde male aliqui explicant rationem numeri in tempore per modum aggregationis, et multitudinis, quia aggregatio, et multitudo importat actualem divi-

sionem, sine qua partes non aggregantur, sed continentur. Tempus ergo est numerus non aggregatione partium, sed continuatione.

ARTICULUS II.

Utrum realis existentia temporis solum inveniat in instanti, vel etiam in aliis partibus?

Una ex rationibus, quam Philosophus objecit in hoc libro, tex. LXXXVIII ad probandum non dari tempus, est, quia componitur ex partibus, quæ non sunt; nam cum sint fluentes, et successivæ, quæcumque pars componitur ex parte, quæ transit, et parte, quæ transitura est. Ergo nulla pars, ut pars realiter existit, sed solum instans. Ex alia vero parte difficillime intelligitur, quod partes ut partes sint præteritæ, nisi aliquando extiterint. Et hoc non invenitur in instanti, quia partes non proportionantur durationi indivisibili, alias partes ejus essent simul, id est, in instanti. Nec minus difficile intelligitur, quomodo instans reddat existentem partem futuram, cum potius supponat illam non existentem, id est, non presentem. Ergo existentia instantis non afficit illam intrinsece, sed extrinsece, extrinsece autem existere, et non existere realiter.

Propter hoc divisi sunt Auctores in hac parte, quidam enim existimant, partes temporis non solum existere ratione instantis, sed ratione propriæ existentie divisibilis, et fluentis, sicut partes ipsæ fluentes sunt. De quo videri possunt Conimbricenses hic q. I, ar. IV; P. Suarez disp. I Met. sect. IX, n. XII; Rubio; Martinez et alii plures secuti Durandum in II, dist. II, q. IV, et explicant hoc dicendo, quod licet ens successivum includat negationem simultatis partium, quia non pos-

sunt omnes esse præsentes, sed quædam præterita, et quædam futura, dantur tamen partes prætereuntes, et quatenus realiter fiunt et transeunt, componitur ex illis ens successivum.

Alii vero tenent tempus in facto esse, et præsentialem solum existere ratione instantis, illas vero partes prætereuntes non esse aliud, quam ipsam successionem, seu fieri secundum partem præteritam, et futuram, ut copulantur instanti, quod reddit utramque præsentem suo modo, id est, successive. Tenent hanc sententiam plures ex antiquis et videri potest Magister Soto iv Physicor. quæst. iv; Toletus quæst. xi; Carmelitani disp. i, quæst. viii, et alii. Et videtur esse D. Thomæ qui opuse. xlv, cap. i, sic inquit: «Intelligendum est, quod esse successivorum consistit in hoc, quod existant secundum aliquid indivisibile sui, quod manifestari potest, quia quælibet pars cujuslibet successivi divisibilis est in diversas partes. Si ergo aliquid successivum existeret, non solum secundum aliquid indivisibile sui, sed secundum aliquam partem, sequeretur, quod multæ partes alicujus successivi simul essent, quod est contra rationem successivorum.» Idem docet in hoc libro iv, lect. xxii, dum inquit: «Quod non invenitur aliquid actu in rebus de motu, nisi quoddam indivisibile motus, quod est motus divisio; sed totalitas motus accipitur per considerationem animæ comparantis priorem dispositionem mobilis ad posteriorem. Sic igitur tempus non habet esse extra animam, nisi secundum suum indivisibile.» Quid clarius? Et i parte, quæst. lxxvi, articul. iv ad 3: «Nihil inquit, est accipere in actu de tempore, nisi nunc.» Idemque habet quæst. lxxvi, art. iii ad 3.

Denique, sumitur fundamentum

hujus sententiæ ex ipsa natura successivi, ex modo mensurandi temporis. Natura enim successivi postulat ut nulla pars simul existat cum alia. Ergo postulat taliter existere, quod una pars non sit, sed transierit, altera vero futura sit, ergo postulat quod non existant ratione sui, et ut transeuntes sunt, sed solum ratione instantis; et hoc est existere fluenter, et non permanenter. Existere enim fluenter est taliter existere, quod una pars non coexistat alteri, sed quod una pars fluxerit, et alia fluxura sit, si autem partes non coexistunt inter se, ergo totum divisibile, quod non est aliud quam illæ partes quibus componitur, non habet existentiam divisibilem, cum non coexistant ea in quæ dividitur. Si autem dicatur, quod coexistunt successive non permanenter, contra est, quia *ly successive* destruit veram et realem coexistentiam, quia pars quæ transit vere non est; ergo vere non coexistit parti futuræ, ergo ex illis non coalescit vera existentia divisibilis totius, quia non habet veram coexistentiam partium, hoc ipso quod successiva est; solum ergo existit ratione indivisibilis, ipsa etiam ratio temporis id manifestat. Est enim numerus motus secundum prius, et posterius, id autem est prius, quod transivit, et id posterius quod sequens, seu venturum est; nam si esset præsens, jam non esset post, sed de facto nunc. Ergo mensurable a tempore solum est duratio præterita, et futura, nulla vero præsens, quia præsens non est divisibile in prius, et posterius, nam hoc ipso quod est prius, non est præsens, sed præteritum, et posterius est futurum, non præsens.

Ut autem intelligatur solutio argumentorum, quorum tota difficultas in eo consistit, quomodo possint partes esse reales, et realiter transire, si nunquam realiter existunt,

nisi per aliquid a se distinctum, quod est instans: quomodo etiam possit instans copulare realiter partes præteritas, et futuras, advertendum est, quod natura motus cum sit actus entis in potentia, est idem quod fieri, ut tendit ad factum esse, et sic partes divisibiles successive, se habent sicut fieri, et instans, seu mutatum esse sicut ipsum factum esse talium partium, et sic ista indivisibilia sunt aliquid ipsarum partium, sicut terminus, et factum esse illarum: cum ergo existentia constituat rem in facto esse, non in fieri, si partes motus se habent in fieri et solum indivisibile in facto esse, consequenter omnes illæ partes dicentur existere ratione indivisibilis, quæ terminatur earum fieri, et redditur factum esse transeuntes: et sic partes fluentes secundum se, non existunt simpliciter, sed per modum fieri, quod tendit ad existentiam in facto esse, quæ existentia in facto esse tantum datur in instanti. Unde ita implicat partes existere ratione sui, et non solum ratione instantis, sicut repugnat aliquid dum est in fieri, habere existentiam, quæ est in facto esse. Et dicuntur partes ipsæ transire realiter; tum quia transit earum fieri adveniente instanti, tum quia etiam ipsum instans, quod est terminus earum, transit.

Quod vero dicantur illæ partes reales, et realiter copulari per instans, ideo est, quia partes sunt in fieri, et tendentia ad factum esse, et ratione sui sunt reales in fieri, quod est existere in tendentia; ratione vero termini in facto esse, quod est simpliciter existere, quod autem, neque ratione sui, neque ratione termini, neque in fieri, neque in facto esse existit, nihil reale est. Non repugnat autem unum existere per aliud, quando utrumque ordinatur ad idem esse, sicut materia per formam, et

partes per totum, et motus per terminum, ut supra diximus quæstione septima. Et similiter partes copulantur per instans, non sicut partes permanentes, quæ uniuntur, ut coexistant, sed sicut successive, quæ uniuntur, ut transeant, inchoando unam partem, et terminando aliam, et ita unio successivorum non requirit existentiam extremorum in facto esse, sicut unio permanentium, neque unam tantum existentiam habent, sed quodlibet instans suam eo quod unum est, et aliud desinit esse.

Ex quibus patet responsio ad rationes dubitandi a principio: dicimus enim partes posse esse præteritas in facto esse ratione instantis præteriti; in fieri vero, et fluxu ratione sui. Et quando instatur, quod prætereunt ratione sui, ergo extiterunt ratione sui, negatur consequentia loquendo de existentia propria, quæ est in facto esse: prætereunt enim ratione ipsius fieri, seu fluxus, quod adveniente facto esse transit, et sic extiterunt in fieri ratione sui, et in facto esse ratione sui termini.

Ad secundam instantiam respondetur quod instans reddit existentem partem futuram initiative, quia ab illo instanti incipit, sed consummative redditur existens alio instanti terminativo, et hoc instans est extrinsecum parti fluenti entitative, sed non terminative: sine instanti vero pars fluens existit solum in fieri, non in facto esse, nisi cum terminatur. Unde cum urgetur, quod existentia extrinseca non potest reddere aliquid existens, distinguo, quod est omnino extrinsecum, ita quod nec sit unum, nec unitum illi, saltem ut terminus, transeat; quod non est omnino extrinsecum, sed unitum, vel terminans, et aliquid ejus saltem per modum termini, nego. Sic enim potest aliquid

existere per aliquid sibi non identifi-
catum, sed communicatum reali-
ter, sibi que conjunctum, sicut ma-
teria per formam, humana natura
per Verbum, ut supra latius dixi-
mus et tamen intrinsece denomi-
nantur existere, quia forma realiter
communicata etiam intrinsece de-
nominat.

Adhuc tamen instabis: Existentia
cujuscunque rei non distinguitur
ab illa nisi ad summum ut modus,
ergo existentia instantis non potest
modificare partes, cum differat ab
illis realiter. Item existentia instan-
tis est indivisibilis, existentia vero
partium est divisibilis, sicut et ipsa
entitas earum. Ergo existentia instan-
tis non servit pro partibus, ne-
que illis est proportionata, sicut ne-
que existentia Angeli, quæ est indi-
visibilis lapidi, qui est quantus.
Item vel pars futura, et præterita
habent aliam existentiam, quam
instantis vel non. Si non, ergo po-
sito instanti est actu pars præterita
et futura, atque adeo jam non est
futura, neque præterita, sed præ-
sens, quia tota etiam existentia præ-
sens est, ubi autem est existentia,
dat effectum suum formalem, quod
est reddere existens, et sic si est
existentia præteriti, et futuri, reddit
existens præteritum, et futurum.
Ergo non transit præteritum, nec
deest futurum, quia utriusque exis-
tentia præsens est. Si vero ha-
bet aliam existentiam, ratione cu-
jus dicitur futura, vel præterita ali-
qua pars, ergo illa existentia non-
dum est in instanti, sed immediate
post erit, vel immediate ante fuit,
quod est esse existentiam divisibi-
lem.

Ad primum respondetur existen-
tiam unius ut *quo* posse convenire
omnibus quæ illi communicant, et
mediante quo participant existen-
tiam, quæ si est modus, non est mo-
dus afficiens tantum unam partem,

sed ipsum totum, quod est subje-
ctum adæquatum illius, licet conve-
niat mediante aliquo tanquam prin-
cipio *quo*, sicut figura est modus
totius quantitatis et non unius par-
tis tantum, licet mediantibus par-
tibus conveniat. Sic ergo ratione
instantis partes successivæ partici-
pant existentiam, quia instans est
aliquid illarum tanquam terminus,
quo successive terminantur in facto
esse, sicut materia, et ipsum totum
existunt mediante forma.

Ad secundum dicimus, existen-
tiam instantis esse formaliter indi-
visibilem, virtualiter autem et ter-
minative divisibilem, sicut et ipsum
instans, licet sit indivisibile termi-
nat partes, et sicut anima indivisi-
bilis informat corpus: imo omnis
existentia, et subsistentia, quia ter-
minus est, simplex et indivisibilis
est, licet virtualiter divisibilis et ut
quo, ut supra quæstione septima
diximus. Existentia autem Angeli,
nec virtualiter divisibilis est, et sic
non servit pro lapide.

Ad ultimum dicitur, quod pars
præterita et futura non habent aliam
existentiam in facto esse, nisi instan-
tis in quo successive terminan-
tur, et sic terminative sunt præ-
sentes: habent tamen secundum se
existentiam in fieri, quæ non est
existentia simpliciter, et secundum
hanc transit præterita, et nondum
est futura; ratione vero instantis
initiative est futura, et consumma-
tive est præterita, et sic transeunt
de instanti ad instans sicut existen-
tia initiative ad consummativam:
nunquam autem simul existunt
complete, et adæquate, sed inchoa-
tive una, et terminative altera. Et
hic est modus proprius existens rei
successivæ, cujus existentia in facto
esse non debet afficere omnes partes
adæquate, et omni modo, sed rati-
one sui termini, in quo transeun-
ter consummantur, et ratione cujus

sunt in facto esse, licet pereant in
ratione fieri, nam ut diximus supra
in qu. iv, entitas motus non est alia
quam entitas termini, quodlibet au-
tem instans, seu mutatum esse se
habet ut terminus saltem medius,
et inadæquatus partis immediate
præterita; et sic est ibi pars entita-
tive, sicut in suo termino. Nunquam
ergo existunt simul pars præterita,
et futura in facto esse, et consumma-
tive, sed futura initiative, et præ-
terita, consummative, quod non est
inconveniens, hoc enim potius est
non simul esse.

ARTICULUS III.

*Quod sit subjectum intrinsecum, et
extrinsecum temporis.*

Vocamus subjectum intrinsecum
illud, cui tempus inhæret tanquam
duratio motus, extrinsecum autem
illud, quod subicitur temporis, et ab
eo mensuratur extrinsece. Et de pri-
mo inquirimus duo. Primo, an sub-
jectum temporis sit primum mo-
bile, seu primus motus. Secundo,
an sit unicum tantum tempus. Et
circa subjectum in extrinsecum, an
non solum ipse motus, seu etiam
ipsa substantia mutabilis mensure-
tur tempore.

DICO ERGO PRIMO: Tempus sump-
tum strictè pro mensura regulari
motus, subjective est in primo mo-
tu, et id habet rationem mensuræ
intrinsicæ respectu sui, et extrin-
sicæ respectu aliorum motuum.
Prima pars constat ex D. Thoma et
Aristotele hoc libro lect. xxiii, et i p.
q. x, art. vi, et in ii, dist. xii, quæst.
1, art. v ad 3. Constat enim, quod
inter omnes motus uniformior, et
regularior est primus motus cæli,
et est minus deficiens, et simplici-
ter notior, quia quotidie volvitur:
ergo duratio in illo existens est men-

sura cæterorum. Verumtamen est,
quod ad distinguendum, et memo-
riæ commendandum ipsum tem-
pus, et motum cæli, utimur quibus-
dam signis, ut horologiis, scripturis
vel aliis similibus, quibus designa-
mus annos, et menses, non quod ista
sint tempus, sed instrumenta, qui-
bus tempus designamus.

Secunda vero pars ab aliquibus
negatur, eo quod mensura debet
esse notior mensurato, motus au-
tem, et tempus sunt idem: ergo ter-
minus non potest esse mensura mo-
tus in quo est. Item, quia motus non
habet aliam quantitatem a tempore.
Ergo non est mensura illius, quia
mensura est id, quo cognoscitur
quantitas rei; ubi est ergo eadem
quantitas, non potest esse id, quo
cognoscitur tanquam notiori. Eam-
dem sententiam generaliter docet
P. Vazquez i par. disp. xxxi, cap. v,
de omni mensura intrinsicæ, quia
nulla mensura intrinsicæ, ut quan-
titas respectu substantiæ est causa,
ut res illa nobis notior fiat, neque
Aristoteles aliud docuit, nisi quod
mensura debet esse homogenea cum
re, quam mensurat, quia intelligit
unam magnitudinem esse mensu-
ram alterius: et sic substantia non
subicitur propriæ durationi ut men-
suræ, sed ratione propriæ duratio-
nis subicitur alteri durationi ut
mensuranti. In summa, mensura
debet esse ejusdem generis cum
mensurato, accidens autem respectu
proprii subjecti non est ejusdem ge-
neris.

Res ista fortasse solum in verbis
pugnat. Certum tamen est multa,
quæ notificant alia, etiam notifi-
care se ipsa, et mensurare, et simi-
liter subjectum in quo sunt, quia
mediante illo redditur notius, et
manifestius, quod alias sine tali for-
ma, vel perfectione ignotum ma-
neret, sicut videmus, quod lux non
solum manifestat colorem, sed etiam

se ipsam, et subjectum in quo est. Similiter quantitas se ipsam ordinat, et situat in loco, et partes substantiæ, quæ sine ipsa manerent confuse, et non solum manifestat et mensurat id, cui extrinsecus adjungitur per contactum. Et idem est de duratione, quando est uniformior, et indefectibilior, ergo nihil prohibet, id appellare mensuram intrinsecam, seu formalem, denotando in *ly intrinsecam*, quod non mensurat per applicationem sui ad alterum, sed per informationem, qua rem ipsam reddit formaliter ordinatam, aut notificatam. Et sic loquitur in pluribus locis S. Thomas. Nam in II, dist. XXVII, q. I, art. II ad 1, inquit: « Quod mensura est duplex, quædam intrinseca, quæ est in mensurato, sicut accidens in subjecto, quædam extrinseca, et hanc non est necesse multiplicari ad multiplicationem mensuratorum. » Et q. I de Ver. art. V: « Mensuratur, inquit, corpus mensura intrinseca, sicut linea, vel superficie, vel profunditate: et mensura extrinseca, sicut locatum loco, et motus tempore, et pannus ulna. » Ratio autem istorum est, quia hoc ipso, quod subjectum subiciatur accidenti, redditur illi proportionatum, et commensuratum secundum intrinsecam informationem. Ergo invenitur ibi quiddam requiritur ad rationem mensuræ, et mensurati, quia tale accidens ordinat et manifestat rem ipsam ut *quo*, subjectum autem proportionatur, et notificatur illo, non ut mensurante et notificante *quod*, sed *quo*.

Ad fundamenta opposita respondetur. Ad primum, quod tempus et motus sunt idem enlitative, et materialiter, non formaliter, seu modaliter, et ideo tempus habet mensurare ut *quo*, motus autem redditur mensuratum ut *quod*, recipit enim illam uniformitatem a tempore. Suf-

ficit autem ad mensuram, quod sit uniformior, et notior ut *quo*. Ad secundum dicitur, quod licet mensura sit id, quo cognoscitur quantum, non tamen est necesse, quod præsupponatur, quantum per aliam formam, sed quod ipsa mensura quantum reddatur, et sic notificetur, et sic licet tempus non addat novam quantitatem ad motum, reddit tamen illam uniformem, et mensuratam intrinsece, id est, recipientem uniformitatem mensuræ, et per illam se notificantem, tanquam per rationem et principium *quo*, quod in aliis fit per applicationem extrinsecam.

Ad fundamentum Patris Vazquez respondetur, quod mensura debet esse notior mensurato, sed sufficit quod sit notior ut *quo*, etiam si non ut *quod*; et sic mensura intrinseca respectu ejus in quo recipitur, est notior ut *quo*, respectu vero ejus cui applicatur ut extrinseco, est uniformior, et notior ut *quod*. Neque Aristoteles oppositum hujus docuit, quia esse mensuram homogeneam mensurato potest intelligi vel ut *quo*, vel ut *quod*, et respectu subjecti recipientis est homogenea ut *quo*, scilicet id, quo tale subjectum redditur homogeneum, et uniforme alteri extrinseco, respectu cuius est homogeneum ut *quod*. Denique, quod dicitur debere mensuram esse ejusdem generis cum mensurato, intelligitur vel secundum proportionem, vel secundum similitudinem, quæ enim participant idem genus, et continentur sub illo dicuntur ejusdem generis per similitudinem, et convenientiam. Quod autem recipit, et informatur ab aliquo, dicitur illius generis per proportionem, quia est capax, et proportionatum illi quod recipit, et ab eo, ut a principio *quo*, reducitur ad tale genus participative, non formaliter.

DICO SECUNDO: Tempus large

sumptum pro eujuscunque motus duratione est subjective in quocunque motu, et multiplicatur ad multiplicationem motus, subordinatur tamen primo tempore, quod est mensura cæterorum. Constat hoc ex pluribus locis S. Thomæ ubi distinguit tempus proprie dictum, quod est in motu cœli a tempore large accepto, quod est in quocunque motu, ut articulo primo retulimus. Hoc enim tempus non est aliud, quam duratio eujuscunque motus habentis prius, et posterius in successione partium, duratio autem est in re durante sicut existentia, ergo subjective est in tali motu. Quod autem subordinetur tali duratio, seu tempus primo motui, et tempore patet; tum quia omnis motus inferior dependet a primo motu cœli; tum quia respicit illum, ut maxime regularem, et consequenter per illum mensurari potest. Et hoc modo intelligitur Augustinus XI. confessio capit. XXXII, cum dicit: « Motum cœli non esse tempus, quia cum tempore Josue cessavit ille motus, sol stabat, sed tempus ibat; » loquitur enim de tempore communiter dicto pro eujuscunque motus duratione, non pro illo, quod est maxime regulare, quod solum est in motu cœli.

DICO TERTIO: Tempus sumptum pro duratione regularissima mensurante cæteros motus est tantum unum numero, sicut et motus regularissimus unus tantum est. Constat hoc ex dictis deduciturque ex Philosopho in hoc libro, cap. XIV, ubi expresse ponit unitatem temporis propter unitatem primi motus. Et asseritur a D. Thoma I par. quæst. X, art. VI, et in II sentent. dist. XII, quæst. I, art. V ad 3, et alibi sæpe; constat enim, quod primus motus cæteris uniformior, et a quo cætera dependent est tantum unus. Quod autem sæpius recurrant eadem tempora, ut ver, æstas, etc. quæ non

sunt eadem numero, sed specie, non obstat quia effectus veris, et æstatis sunt diversi in hoc anno, et in præcedenti, sed circulationes sunt continuæ, et motus non interruptus; et propter talem unitatem, dicitur etiam tempus unum, et motus unus, licet ex multis circulationibus componatur. Addit autem D. Thomas etiam in rebus incorruptibilibus dari unum tempus propter unitatem primi Angeli, qui cæteris est simplicior, et uniformior, ut affirmat quodlib. V, articulo VII, et I part. quæst. X, articulo VI, et in II, distinct. II, quæst. I, articulo II. Quod tamen intelligitur non solum de ratione mensuræ secundum majorem dignitatem, sed secundum uniformiorem mensurationem quantum est ex parte sua, et respectu perfecte cognoscentis, non respectu nostri, qui imperfecte cognoscimus; sic enim nihil nobis notificat ævum superioris Angeli de mensuris inferioribus, quia æque nobis ignotum est, atque ipsæ durationes inferiores, sed tamen ad rationem mensuræ secundum se, non requiritur quod sit notior quoad nos, et secundum imperfectionem nostræ cognitionis; hoc enim solum requiritur, ut si mensura nobis deserviens, sed sufficit, quod ex parte sua et respectu modi perfecte cognoscendi sit uniformior altero, et notificativum illius. Sic autem est mensura ævum supremi Angeli, quia est duratio simplicior tam in se, quam ut est radix suarum operationum præsertim primæ, verbi gratia, qua Angelus se intelligit, quæ etiam mensuratur ævo quia nunquam cessat. Quod si in hac patitur aliquam difformitatem, Angelus, non subiciendo illam Deo qui est summa simplicitas, ut fecit Lucifer, amittit esse primam regulam æviterorum propter obliquitatem operationis æviterne ut non subjectæ,

ut docet S. Thomas quodl. v, art. vii. Mensurat autem ævum cæteras durationes rerum incorruptibilem, etiamsi sint corporea cœlestia, quia licet differant in genere naturæ, conveniunt tamen in ratione durationis incorruptibilis, ut ait S. Thomas, 1 p. q. x, art. vi ad 2.

Circa subjectum extrinsecum, quod est mensurabile a tempore, constat certo apud omnes ipsum motum esse mensurabilem a tempore, et mediante motu etiam ipsum subjectum motus, quod est substantia mobilis. Dubium vero est an ipsa substantia corruptibilis immediate in se, et non solum ratione motus sit mensurabilis tempore? Nam ex una parte ejus substantia non est successiva sed permanens; et sic non proportionatur illi tempus, quod est successivum. Ex alia vero parte non apparet, quæ mensura sit illi assignanda: nam ævum est mensura rei incorruptibilis, quod non convenit substantiæ corruptibili: tempus autem est mensura successiva, quod etiam rei permanenti non convenit. Unde auctores, qui sentiunt non mensurari tempore tempore substantiam corruptibilem, ut Scotus in II, distinct. II, quæst. II, et Conimbricenses hic quæst. III, artic. III, et Suarez disp. X, Metaph. sect. VII, et alii tamen disconveniunt in assignanda mensura illi convenienti, nam quidam affirmant esse ipsum ævum sumendo illud lato modo pro mensura non solum rei incorruptibilis, sed etiam rei permanentis. Alii assignant instans temporis discreti; alii modum ævi; alii denique etiam mensuram innominatam, nihilominus circa hoc.

DICO ULTIMO: Substantia rei corruptibilis secundum conceptum substantiæ non est mensurabilis tempore, neque alia mensura, sed in quantum habet quantitatem du-

rationis: et non solum ut actu est mora, sed etiam ut mobilis, seu corruptibilis, actu tamen quiescens, et permanens mensuratur ipso tempore. Hæc est mens Aristotelis et D. Thomæ ut videri potest IV Phys. tex. cxviii et cxix, et ibi D. Thomas lect. XXI, cujus verba sunt: « Tempus mensurat id, quod movetur, et quiescit non in quantum est lapis, vel homo, sed in quantum est motus, et quiescens: mensuratio enim proprie debetur quantitati. Cujus ergo quantitas tempore mensuratur, illud proprie tempore mensuratur. Ex mensuratione autem temporis, cognoscitur quantus sit motus, et quanta sit quies; non autem quantum sit illud quod movetur. Unde quod movetur simpliciter, non mensuratur tempore secundum propriam quantitatem, sed secundum quantitatem sui motus. Ex quo patet, quod proprie tempus sit mensura motus, et quietis, sed per se motus, quietis autem per accidens. » Sic D. Thomas, nec unquam oppositam docuit, nam prima parte, quæst. X, artic. IV, aperte tribuit mensuram temporis non solum motui, sed etiam subjecto mutabili. In opusculo autem XLIV, cap. III, solum dicit: « Quod mobilia quantum ad id quod sunt, sicut homo aut lapis non mensurantur tempore, quia essentia eorum non habet prius et posterius. » Quod etiam verissimum est, nec aliud dicit, quam in IV Physicorum citato, quia videlicet res mobiles secundum conceptum substantiæ non mensurantur tempore, bene tamen secundum durationem mutabilem, licet non actu motam.

Et ratio est, quia idem est quies quod permanentia, cum illud dicatur quiescere, quod se habent nunc sicut antea. Eadem ergo est mensura rei permanentis, ut permanens est, et rei quiescentis. Quies autem

rei mutabilis mensuratur tempore; ergo et ipsa substantia corruptibilis non ut substantia, sed in quantum durans, et permanens in quiete, mutabili tamen, et corruptibili subijcietur tempore. Et præsertim hoc apparet in substantiis, quæ etiam in ipsa substantia mutantur per augmentum, vel decretum aut aggerationem, tales enim etiam in ipsa substantiæ duratione subijciuntur tempore. Quæ vero non sic mutantur, tamen quia mutari possunt, et dependent in sua duratione a causis transmutabilibus, dicuntur mensurari tempore, etiamsi actu non mutantur, sed quiescant.

Ex quo patet, ad rationem dubitandi a principio, dicimus enim, quod res permanens, licet actu et formaliter non sit successiva, est tamen radicaliter, et extrinsece, eo quod ex sua radice petit posse mutari, et corrumpi; et pendet a causis mutabilibus. Et sic quando dicitur, quod in sua duratione est permanens, et idem distingo, permanens ratione immutabilitatis,

seu ex oppositione ad motum, nego; ex causa conservante in illa permanentiam, et quietem, cum potentia tamen ut muletur, concedo; sed hoc est mensurari tempore, sicut quies, quem constat mensurari tempore, tanquam quid oppositum motui, sicut dicit Philosophus in capite duodecimo hujus libri, et ipsa experientia constat.

Quod si dicas: Quomodo ergo Aristoteles et D. Thomas dicunt manere idem nunc in toto tempore, quia manet idem mobile, si secundum hanc resolutionem etiam mobile mensuratur tempore, et non mensuratur nunc, respondetur, manere idem nunc, non quia sit verum instans, aut res ipsa solum instanti mensuretur, sed quia est mobile permanens, sed permanentia est duplex, alta quietis privatiæ, quæ scilicet est capax mutari, alia quietis negativæ, quæ omni modo opponitur mutationi; et prima mensuratur tempore, secunda ævo, quia est corruptibilis.